

Verum enim verò nullius momenti horum res gesta,
est, quare missam faciemus.

ANISTE POLITICUS, QVI SIMULARE
& dissimulare studet.

IV.

HIC locum damus illi Stagiritæ monito: *πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξελεῖν τὰ ὀνόματα.* A Politici ergò vocabulo nostram quæstionē auspiciari convenit. Politicos modernus loqvendi usus dicit, horarum omnium amicos, qvi in civili conversatione gratiosi, moribus omnium accomodat; quorumq; animus & gressus ad tabulam compositus est, & qvi omnia scire & omnino nihil aut parum nescire, simulationis artificio volunt videri. Absit autem ut illiusmodi furfuris homines, quos vulgus Politicos adorat, nomine hoc augustissimò dignos censeamus, quum ex Vernulæi sententiâ, (qvi de hac ipsorum delineatione didactrum ab istis Politicis expectet) Gnathones (A.) sint & Ardeliones, urbani scurræ, versuti & versipelles Polypi, qvi ut tempori serviant, ipsius ingenium induunt, & ut decipiant, non raro vultum mutant, ac pro summâ doctrinâ norunt, simulare & dissimulare, h. e. verba dare cautè, pugnare dolosè. Hinc inde effectum est hodiè, ut exosum pænè Politici nomen habeatur, nec satis vir bonus intelligatur, qvi adhuc gaudet ejuscemodi appellatione. Quare nihil nobis rei illiscū est, suo modo simulent, dissimulent; Nos verum sincerumqve Politicum amplectimur eum, in quo, ut iterum Vernulæi verbis utar, morum elegantia & comitas cum gravitate, & qvi alloqviiis officia provocat; itemq; qvi

A.
In Proæm. Inst.
Polit.

B

pecta-